

his dicitur, quod nocturnis temporibus littora petunt seque contra coelum aperiunt et ita ex coelesti rore concipiunt, unde certo tempore anni recipiunt et appetunt rorem, sicut foemina virum, et roris desiderio hiant et hauriunt humorem cupitum, quotiens autem aëris matutini semen excipitur, sit margarita clarior, vespera accepta fit obscurior. In aliquibus ostreis pretiosissima margarita naturaliter est infixa, quae maris aqua in ea solidatur, et haec difficulter apud reges invenitur. Testae tam ingentis magnitudinis in aliquibus maris littoribus reperiuntur, ut domum non parvam multarum camerarum contegat una, et in aliquibus regionibus navigii loco his utuntur cymbis. Recitat frater Odoricus, ordinis Minorum, quod viderit in provincia orientis, Campra dicta, unam testudinem, majorem trullo, seu cappa ecclesiae S. Antonii Paduae. Sedi ergo aliquamdiu et venationi illi respiciendo tempus dedi, et inde ad alia loca evagatus sum, ut patet in descriptione Parentiae.

Parentia Dalmatiae et Histriae civitas vetustissima olim Paradina fuit dicta a Paride Trojano. Hic enim Paris cum Helenam Graeciae reginam raptum pergeret, omnem suam classem in hac civitate aptari fecit, et cum ipsa Helena rapta illuc de Graecia reversus votoque potitus portum aedificavit et oppidum eique nomen suum dedit, unde hodie Parenza dicitur, et est sub Venetorum ditione, sicut aliae civitates Histriae, ut Justinopolis a Justino secundo condicta, quam Veneti receperunt anno Domini 1129. Est autem Parentia parva, satis munita, optimo solo posita, nam a parte maris rupibus et scopulis protegitur a procellarum impetu, a parte vero terrae fertilissimis collibus est circumdata et silvis olivarum cincta per gyrum a mari usque ad mare. In ipsa est ecclesia episcopalibus cum canoniciis et clericis, in qua positae sunt multae reliquiae et Sanctorum corpora. In majori altari quiescunt sancti martyres Demetrius et Julianus. In alio altari ante chorum sanctorum virginum Bertae et Acolitae. In eadem ecclesia ante pauca tempora sanctorum martyrum Mauri et Eleutherii corpora quieverunt, sed per Genuenses inde asportata Genuam translata fuerunt. Narratum quoque nobis fuit pro certo, quod cum iidem Genuenses aliud quoddam altare tentassent effringere, animo quae-dam sanctorum corpora inde recipiendi, mox sanguis miraculose ex eo altari profluxit, cuius hodie sunt ibi vestigia derelicta, unde territi raptore aufugerunt. Fratres minores etiam habent ibi con-

